



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Communi Virginum, & non Virginum. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

vt pro Homilia Sancti Hieronymi legatur ea, quæ est Sancti Augustini. Clem. VIII. adiecit Octauum Responsorium. In medio Ecclesie, &c.

4. Commune Confessorum nõ Pontificum est idem, vt in antiquis Breuiar. mutauit Pius V. Lection. 1. Noct. vt essent de Scriptura, & secundi Noct. in magè proprias, ex Ioan. Chrysof. alias adiecit de more ad varietatem in Festis, vel pro Octaua. Oratio, *Adesto*, habetur in Sacramentario Gregoriano.

5. Quando fit Festum plurimorum Confessorum siue Pontificum, siue non Pontificum; datur facultas mutandi verba, tum in Oratione, tum in Sermonibus, vt sonent numerum pluralem: verbi gratia: *Ad Sanctorum, ac Beatissimorum Patrum nostrorum N. N. quorum, &c. Beatorum N. & N. dier, quorum festiuitatem celebramus.* non tamen in Sermone Sancti Gregorij ex libro Moralium: *Deridetur iusti simplicitas*: quia non est proprie Sermo de Sancto, sed tractatus, & expositio libri Iob. In Antiphonis, Responsorijs, Hymnis, & Homilijs nulla fit mutatio; licet non quadrent pluribus; quia nimia esset mutatio, & perdifficilis, vt congruat in omnibus.

6. Tempore Paschali additur, *Alleluia*, vbi scilicet non habetur. vt in Breu. M.S. & 1550. & ad Responsoria breuia Horarum duplicantur. In Inuitatorio repetitur, vt alias, *Venite adoremus, alleluia*; quod in Apostolis etiam, & in sequentibus obserua, contra eos, qui putant repetendum esse tantum, *Alleluia*, vt in Inuitatorio Martyrum tempore Paschali. Tres Psalmi dicuntur sub vna Antiphona; etiam post Ascensionem Domini. quæ & obserua in sequentibus Communibus Virginum, Mulierum Sanctarum, & Dedicationis Ecclesie. causam mysticam habes *Secl. 5. c. 7. nu. 5. pag. 44.*

7. In Translationum Festis, & quando officia Confessorum transferuntur in aliam diem, vt in Rubricis, mutatur versus in Hymno: *Iste confessor*: vt in Breuiario, Urbani VIII. iussu recognito, ne mendacium dicatur, quod eo die obierint in D. Barth. Gauant, Tom. II.

Hymno Laudum Confessorum nõ Pontificum videbatur etiam mutandus ille versus: *Dies resulsu lumine, quo Sanctus, &c.* sed non mutatur, quia non dicimus. *Hic dies*; precise, in quo fit officium. contingit etiam transferri officium à die obitus in immediatè sequentem diem, puta à Dominica in Feriam secundam; & eo casu in primis Vesperis nõ est mutandus prædictus versus; quia verè eo die obiit, infra Octauam vero dicitur, vt in Festo; quia, vt sepè dixi, tota Octaua est velut vnus, idemque die, octaua scilicet Festi, non autem octaua dierum mensis, intra quam translatum festum contingit celebrari: quod benè nota.

De Communi Virginum, & non Virginum. Cap. IV.

1. Dantur Virgines tantum, Virgines, & Martyres; Martyres nõ Virgines; nec Martyres, nec Virgines. & licet officij sit comune his omnibus in multis tamen aliqua, vt decet, eè habet propria.

2. Virgines igitur non Martyres habent Orationem propriam, Hymnum post Inuitatorium, primum Responsoriorum, & Capitulum Nonæ. Hymnum, & Capitulum à Clemente VIII. primum Respons. à Pio V. qui & addidit Lectiones de Scriptura in 1. Noct. & alias pro 2. Nocturno ex Ambrosio.

3. Virgines, & Martyres habent, præter Orationem, Hymnum post Inuitatorium, primum à Pio V. Responsorium, Lectiones primi Nocturni, *Confitebor tibi, &c.* ab eodem Pio V. qui addidit sequentes alias Lectiones ad varietatem in Festis, vel ad Octauam.

4. Martyres tantum, non Virgines, habent Commune distinctum à superiore; tum primas Lectiones à Pio Quinto, *Confitebor*; in reliquis concordat officium Breu. M.S. & 1550. Lectiones secundi Nocturni pro Mart. non Vidua additæ sunt ab Urbano VIII.

5. Sanctæ mulieres, nec Virgines, nec Martyres, idem habet officium cum precedentibus non Virginibus; sed à Pio V. habent Capitula Horarum: *Mulierem fortem, &c.* tum Lectiones secundi No-

K tur-

cturni ex S. Ambros. additus est à Cle-
men. VIII. Hymnus in Vesp. *Foram vi-
rili pectore*: cum Antiphon. ad *Magnific.*
apertiore, tum in primis, tum in secundis
Vesp. addidit aliam ad Laudes Urbanus
VIII. Mirantur non pauci, quòd in offi-
cio dicatur adhuc: *Veni sponsa Christi*;
nimirum in 3. Nocturno. sed ea spontè
recepta est, recitanda noctu, ne sancta
mulier, non virgo, reiecta videatur à nu-
ptijs Christi spiritualibus, quibus & ipsa
gaudet occultiore modo.

6. Si fuerint plures, nihil mutatur, pre-
ter Orationem; & si plures sint Virgi-
nes, habent propriam Antiphonam ad
vtraq; Vesperas, & Laudes pro Canticis
Euangelicis: *Prudentes Virgines, &c.*

7. Oratio, *Deus, qui inter cetera poten-
tia tua, &c.* habetur in Sacram. Gregor.
item Ibid. *Indulgentiam nobis Domine,
&c.* quæ in Concurfù, seu in occurfù
duarum Virgionum, seu SS. Mulierum,
poterit dici ad varietatem, tacitis titulis,
Virginis, & Martyris.

De Communi Dedicacionis Ecclesiæ.
Cap. V.

Ecclésiæ materiali duo accidunt in
ordine ad Horas Canonicas: ni-
mirum Titulus, & Dedicatio, quæ diffe-
runt, & conveniunt in multis.

Titulus Ecclesiæ est, à quo denomina-
tur Ecclesiæ, pura, S. Salvatoris, Sancti
Bartholomæi, & similibus. antiquitus en-
im Ecclesiæ in Vrbe per Titulos di-
stinguebantur, qua de re Baron. in *Not.
Martyrolog.* 26. *Iulij Iulij*: hoc loco bre-
uiter accipe, Lector: Titulum, & Eccle-
siam esse idem; eo quòd in loco Ecclesiæ
construendæ figebatur Crux in Titulum.
Ordin. Roman. c. de *edif. Ecclesiæ*: Ro-
mæ item, ex antiqua loquendi consue-
tudine, non omnis Ecclesiæ Titulus di-
cebatur, sed tantum insigniores Ecclesiæ
quibus præficerentur Cardinales: vnde
Titulus Pastoris dicta est Ecclesiæ San-
ctæ Prudentianæ; in *Martyrolog.* 20. *Iulij*,
& Titulus Eudoxiæ Ecclesiæ Sancti Petri
ad Vincula. Euaristus autem dñi sibi in
Vrbe Titulos presbyteris, hoc est multi-

plicauit Ecclesiæ, quæ dictæ sunt Titu-
li, accepta nomenclatura à rebus fisca-
libus. Tituli namque impositione rem
sibi Fiscus vendicabat, & Principi con-
secrabit; & erant hi Tituli vela quæ dam
quæ regiam representabant potestatem
cum imagine, vel nomine Imperatoris;
cortinæ regiæ, apud Ambr. *Epistola ad
Marcellinam*. quamquam notabantur
etiam literis, ex August. in *Psalm.* 21. *ex-
posit.* 2. quos Titulos veritè imponi Eccle-
siasticis rebus S. Greg. lib. 5. *epistola* 44. qui
optimè notat. Titulos, ecclesiasticos di-
uersos esse à fiscalibus. hi ergo vela erant,
illi verò signum Crucis. Præterea Ec-
clesiæ dicta est Titulus; quia qui eidem
ascriberetur presbyter, ab ea nomen, Ti-
tulumque accipiebat vt eius loci dicere-
tur Presbyter (quod & hodie) inter Car-
dinales. Fufius hæc idem Baron. *Tom.* 2.
Annalium Anno 112. Titularis ergo Ec-
clesiæ est ille Sanctus, à quo Titulus, seu
Ecclesiæ denominationem habet.

2. Dedicatio verò Ecclesiæ est ipsa
met consecratio facta ab Episcopo vt in
Pontificali, quæ ita recolitur quotannis,
vt natalis dicatur dies, ex Sancto Leone,
Sermone de Machabeis, dedicari templi
Bellarmin. de *cultu Sanctorum* lib. 3. cap. 5.
De more antiquo fuit introducta ex Eu-
sebio lib. 9. *Histor.* cap. 10. Festum autem
Dedicacionis dignius est, quàm Sancti
Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ, vt
probanimus *Sect.* 3. cap. 8. nu. 7. pag. 25.

3. Conveniunt in his, sunt enim primæ
Classis. habent Octauam, celebrari pos-
sunt infra Octauam Epiphaniæ; item in
Dominicis secundæ Classis. in eisdem si
Vigilia occurrat, nihil fit de eas nec etiam
in Laudibus. habent primas Vesperas in-
tegras, etiam in secundis Vesperis diei
Octauæ Epiphaniæ, Pasche, Ascensionis,
& Corporis Christi, cum alijs privilegijs
Festorum primæ Classis. sed iam dica-
mus de sola Dedicacione.

4. Si contingat dedicari Ecclesiæ in
aliquo Festo ex solemnioribus, ne quo-
tannis occurrentia duo Festa se inuicem
impediant, potest Consecrator decerne-
re alium diem ad celebrandum annis